UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1860

XVI. Henning Blume bekundet das Miteigenthum des Klosters Marienwalde an der Mühle zu Regenthin, am 14. September 1317.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55515

Visual Library

eine wüste Feldmark bekannt. — Das Original dieser Urkunde befindet sich im Besitz der Königl. Universitäts-Bibliothek zu Berlin. Es zeigt weiter keine erhebliche Abweichungen von der vorstehenden Copie, als in der Zeitbestimmung der Jahresfeier. Der abweichende Inhalt ist in den Anmerkungen angezeigt. Anstatt der ( ) eingeschlossenen Stellen der Copie liest man im Original die in den Anmerkungen angegebenen Zeitbestimmungen.

XV. Das Kloster Marienwalde verleiht an Conrad Stym und seine Hausfrau 20 Hufen, einen Krug, das halbe Schulzengericht und das halbe Kirchlehn zu Lamprechtsdorf, am 1. August 1317.

Vniuersis hanc literam inspecturis Frater Michael, abbas in Marienwolde, totusque eiusdem loci Conuentus salutem in domino sempiternam. Cum ad memoriam rei geste descriptio valeat literalis, Vestre igitur recordationi subscriptorum serie declaramus, Quod Conradus, dictus Stym, et vxor sua Juncta XX mansos in lamprechtsdorff cum omni Jure tabernamque, vnam quoque medietatem ibidem Juris patronatus bonorum et ecclesie, cum medietate Judicii prefecture ab Heinrico, dicto Glum, cum omni Justicia, secundum quod ipse a nobis habuit et dinoscitur habuisse, per emptionem ad vsum vite sue legitime contraxerunt, Quod confirmauimus eis fauorabiliter conferendo: quoad et quamdiu alter eorum superuixerit, ipsum ex integro possidebit. Quod si antedictum Conradum Stym solum superuiuere contigerit et aliam vxorem duxerit atque heredes inde procreauerit, Tunc vt exigit legalis Justicie Tenor et iam dicti heredis, licet solus fuerit an plures, totum iam dicti beneficii Impensum Jure hereditario possidebunt. Quod si sepedictum Conradum absque liberis mori omnino contigerit, Tunc ad vsum nostre ecclesie dicta bona liberaliter sunt cessura. Hoc nostri sigilli munimine duximus inuiolabiliter roborandum. Datum Anno domini M°. CCC°. XVII, vincula Petri.

Aus dem Marienwalder Copialbuche. Fol. 18.

XVI. Henning Blume bekundet das Miteigenthum des Klosters Marienwalde an der Mühle zu Regenthin, am 14. September 1317.

Vniuersis hanc literam percepturis Henningus, Blume condictus, salutem cum omni obsequio famulatus. Memorie vestre duxi perenniter innodandum, Quod domini mei monachi in Marienwalde medietatem habent in fructu et vtilitate molendini, quod ex fauore eorum in redentin edificaui, Et istam iam dictam medietatem molendini tollere debent, perenniter possidendam, quamdiu prius nominata villa redentin, per me vel per liberos meos non vendetur. Nam quandocunque vendi contigerit videlicet dicta villa Redentin aut per me aut per proprios meos filios vterinos, Tunc prefatum molendinum, quod nec vendi potest nec aliquo modo alienari, dictis do-

minis cedit cum pleno fructu et vtilitate ex integro, conditione Inuiolabili omni occasione postergata perpetualiter obtinendum. Et si ante nominati filii mei post mortem meam se in bonis procedent diuidendos, Quicunque ex tunc partem suam, quam habuerit in Redentin, vendiderit, pars eius si quam obtinuerit in molendino sepius prefatis dominis meis cum omni Justicia est deriuatura. Hoc mei et proprii sigilli munimine ac cautione testium solicitius communiui. Testes vero sunt Abbas in Marienwalde frater Michael, cuius signaculum et est appensum et eiusdem loci frater Woltherus, prior, Atque Theodericus de Cammis, Insuper Jo. de dossau, Arnoldus Sac et Heinricus Merkist, testes. Datum anno domini M°. CCC°. XVII°., in die Exaltationis sancte Crucis.

Aus dem Marienwalder Copialbuche. Fol. 99.

XVII. Markgraf Woldemar ertheilt dem Kloster Marienwalde das Recht, die Stauung im See Pritzen beliebig zu erhöhen oder zu erniedrigen, am 25. Januar 1318.

Ad geste rei memoriam perpetuam Nos Woldemarus, dei gratia Brandenburgensis et Lusatie Marchio, Recognoscimus publice in hiis scriptis, Quod ob reuerentiam omnipotentis Dei et salutem animarum nostre et progenitorum nostrorum ad emendationem Claustri Marienwolde dedimus et per presentes literas donamus fratribus presentibus et futuris, ibidem Deo famulantibus, liberam facultatem faciendi Inundationem stagni Prytzen, que vulgo dicitur Stawinge, in longum et latum ad quedam stagna adiacentia et ad riuulos influentes. Poterunt quoque predicti fratres, presentes aut futuri, vt dictum est, absque omni Impedimento et vara ac grauamine predictam Inundationem augmentare, diminuere, provt ipsorum necessitas seu vtilitas exigit et deposcit. Hoc etiam addito, quod ipsi fratres, partem Inundationis, que de ipso Stagno Prytzen effluit, possint effodere et deducere in ipsorum bonis et pro vtilitate sue ecclesie, sine omni impedimento et obstaculo quolibet, vel vt magis commodius et vtilius videbitur expedire. Et vt huiusmodi donatio, deuota mente per nos rite facta, perpetuum vigorem obtineat, presentes in huius rei testimonium dari jussimus literas et nostro sigillo communiri. Testes quoque sunt nostri fideles, Nobilis vir Guntherus, Comes de Keuernberg, Hasso de Wedele, Rodolphus de Liuendal, milites, Heinricus Steindalgensis Ecclesie Decanus . . . . . et Ebirhardus, Grandzoyensis et Stolpensis prepositi, Hermannus de Luchawe, nostri Cappellani cum pluribus fidedignis. Actum et Datum Templin, Anno domini M°. CCC°. decimo octauo, Die Conuersionis Sancti Pauli Apostoli.

Aus dem Marienwalder Copialbuche. Fol. 113.